

*Compromissum Ministræ Ecclesiæ C. Michaelis de Bosco in G. Albanen. Electum ecc. de controversiis inter ipsam & Abbatissam Mon. S. M. de Campis. Ex Tabul. Mon. S. M. Aq.*

47

MCCXI.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, die martis sexto, calendas madii, indictione quartadecima. In claustris S. Michaelis de Bosco, Domina Sibilia Priora, & Ministra Ecclesiæ predictæ S. Michaelis consensu, & confirmatione Domine Adile, & Domine Bellebone monacharum ipsius Ecclesiæ compromisit in Dominum G. Albanensem Electum, & Magistrum Ottonem Canonicum Terdonensem de controversia, quæ vertitur inter Ecclesiam B. Michaelis de Bosco ex una parte, nec non ex altera Ecclesiam sanctæ Mariæ de Campis, & quidquid fecerint, sive per concordiam, sive per iustitiam ratum &c. renunciando &c. Ego Oglerius Notarius sacri Palatii interfui, & hanc cartam tradidi, & scripsi.

*Conventio in quadam lite cum Rectore Ecclesiæ S. Johannis de Burgo. Ex Tab. Eccl. maj.*

48

MCCXI.

Anno Nativitatis Christi millesimo ducentesimo undecimo. In civitate Aquis XVI. novembris presentibus testibus vocatis & rogatis Domino Bonifacio Abbate S. Petri, Magister Enrico, & Oberto Iudice Montisbarutii ad voluntatem & consensum Domini Anselmi Aquisensis Prepositi, Pauli, & Arnaldi Canonorum huiusmodi pactum fecerunt Henricus Caputdomus, & Presbiter Ubertus de sancto Johanne &c.

*Lis erat de quodam muro, qui dividebat Ecclesiam S. Johannis de Burgo a domo Henrici. Ego Matteus Tabellio Palatinus &c.*

*Sententia Canonici Terdonensis delegati in causa inter Monasteria S. Mariæ Aquensis, & S. Michaelis de Zebedo. Ex Tabul. Monast.*

49

MCCXI.

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, indictione quartadecima, die sexto exeunte novembri in Terdona. Causa vertebatur ante Dominum Ottonem de Bassagnana Terdonensem Canonicum arbitrum constitutum cum Domino Girardo Albanensi electo inter Dominum Arnaldum Canonicum Aquensem, & Syndicum monasterii sanctæ Mariæ Aquensis ex una parte, & Dominam Mateldam Syndicam, & Monacham monasterii sancti Michaelis de Zebedo ex alia. Dicebat enim superscriptus Dominus Arnaldus, quod Ecclesia sancti Michaelis subest Aquensi monasterio, & quod Priorissa, & Monachæ sancti Michaelis tenentur facere obedientiam Abbatissæ superscripti monasterii Aquis; & quod superscripta Abbatissa facit ibi residentiam pro velle suo ordinando, & disponendo tam in spiritualibus, quam in temporalibus de rebus superscriptis sancti Michaelis tamquam in sua propria Ec-

clesia. Quod superscripta Domina Matelda penitus inficiabatur: & super hoc plures testes scilicet multi producti sunt. Visis ergo rationibus, & allegationibus utriusque partis, & dictis testibus diligenter inspectis, & habito superscripti Domini Girardi Albanensis electi, & aliorum sapientum consilio, Dominus Otto condemnavit superscriptam Dominam Mateldam Syndicam versus Dominum Arnaldum Syndicum, quod Ecclesia sancti Michaelis debeat subesse Aquensi monasterio, & quod Priorissa, & Monachæ superscripte Ecclesiæ sancti Michaelis debeant de cetero obedire superscripte Abbatissæ sancti Michaelis secundum regulas Beati Benedicti. Quam superscriptam sententiam superscriptus Dominus Otto tulit ex speciali mandato expresso superscripti Domini Girardi, prout continebatur in suis literis, quas ego Jacobus vidi sigillatas esse, & precepto ipsius Domini Ottonis redegei. Interfuerunt testes Dominus Obertus Terdonensis Præpositus, Dominus Petrus de Bruxeto Terdonensis Canonicus, Dominus Henricus Aquensis, & Ottobonus. Rogatus ego Jacobus Not. &c.

*Litteræ Innoc. Papæ III. Archidiacono Aq., ut exequi jubeat sententiam a Canonico Terdon. latam in lite Mon. S. M., & S. Michaelis de Zebedo ex lacera membrana. Tabul. Mon. S. M.*

MCCXII.

50

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Archidiacono Aquensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecta in Christo filia Abbatissa sanctæ Mariæ de Aquis nobis humiliter supplicavit, ut definitivam sententiam pro ipsa contra Ecclesiam sancti Michaelis de Sebedo super possessionibus, & . . . aliis a magistro O. Canonico Terdonensi autoritate nostra . . . iustitia promulgatum . . . quo circa discretionem tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus . . . ipsam sicut est iusta facias per censuram Ecclesiasticam appellatio postposita firmiter observari. Datum Signe V. Kalendas junii Pontificatus nostri anno quinto decimo.

*Præceptum Archid. Aquens. delegati factum Abbatissæ S. M. Aq., & S. Mich. de Zebedo, ut coram se compareant. Ex Tabul. ejusd. Monast.*

MCCXII.

51

Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo XV. die martis XI. exeunte novembre in presentia testium, quorum nomina subter leguntur. Ottobonus clericus precepit mihi Scotoni publico Tabellioni, ut as litteras autenticarem, cujus tenor talis est: Reverendis dominabus Abbatissæ sanctæ Mariæ Aquensi, & Priorissæ S. Michaelis de Zebedo O. Aquensis Archidiaconus in vero salutari salutem. Notum sit benignitati vestre nobis a Summo Pontifice injunctum esse, quod a Magistro O. Terdonensi Canonico super posses-